

plerosque fixos vendunt, iis intestina et branchias eximunt, immittuntque muriae, ut in garum vertantur. Sociorum vero Garum vocatur, seu quod ganeones et lurcones eo sociatim uterentur, ut quidam Galeni scholastes putat, seu quod a fociis populi Romani, Hispanis nempe deferretur. Faecofum ac plane foetidum fuisse, facile Martialis indicavit, dum dicit:

Vnguentum fuerat, quod Onyx modo parva gerebat,

Nunc postquam olfecit, Papilus, ecce garum est.

Vsum in Medicina si spectes, arquo morbo correptis comestos opitulari Aelianus scribit; in aceto putrefactos mulieres strangulatu oppressas excitare Plinius.

Aelian. H.

A. l. 12. c. 46.

Plin. H. N.

l. 32. c. 10.

PUNCTVM VII.

De Colia sive Lacerto.

TAB. XXVIII. 12. **P**iscis, quem *κολίας*, *κοιλίας*, et *κοχλίας* in vulgatis Aristotelis exemplaribus, seu a pica varia, quam *κολιον* aut *κολιαν* dici, nescio quo authore, Bello-nius credit, quod variegata latera habeat, unde *καλιόγραπτος* Athenaeo, seu aliam ob causam vocatur. Theodoro *κολάος*, seu *Monedula*, et *Graculus*, Latinis ut C. Celso, Columellae, ac Martiali, *Lacertus* audit. Magnam eorum cum Scombris affinitatem esse, non tantum inde colligere licet, quod ab Aristotele et Columella semper simul nominentur: sed etiam quod Lemni incolae magnitudine duntaxat a Scombris differre asseruerint, et Plinius Coliam Lacertorum minimum faciat, quod et apud Athenaeum, qui Sardam Coliae magnitudine esse scribit, habemus. Pariunt semel * an-

Aldrovand. de Piscibus l. 2. c. 45.

Arist. H. A. l. 9. c. 2. l. 8. c. 13.

Columella R. R. l. 8. c. 13.

* Arist. H. A. l. 5. c. 9.

no. In cibis laudantur, qui in Pro-pontide * antequam pariant, Amy-clani, Hispani; quos † Sexetanos (Sexi authore Plinio, Boeticae Hispaniae oppidum est) Martialis vocat, ex quibus forte Sallamentum. Gaditanum, cujus apud Hippocratem mentio, et Parii seu Pariani, unde Parium apud Archestratum nutrix Coliarum dicitur. De Carnis qualitate non conveniunt Authores. Xenocrati est stomacho ingrata, arida, mali succi, excretu facilis, et copiose nutriens. Athenaeo glutinosa, acris, mordax, et deterioris succi. Cornelio Celso, gravissimi alimenti. Salliri solitas apud Martialem invenies. Muria ad dentium dolores Medici utuntur. Patinam ex Lacertis apud Apicium vide.

* Arist. H. A.

l. 8. c. 13.

† Galen. l. de

Alim. facult.

Martial.

Epigr. l. 7.

Athen. Di-

pnos. l. 3.

PUNCTVM VIII.

De Sauro.

TAB. XXI. 13. **Q**uem Saurum Graeci vocant, hunc plerique Latini *Lacertum* vocant. A Trachuro distingui vel exinde patet, quod et Oppianus de Trachuro et Sauro tanquam de diversis piscibus agat; et Speusippus apud Athenaeum Acui et Sphyraenae similem esse, quod Trachuro non convenit, scribat. Duo ejus esse genera Aelianus tradit, videlicet *nostras*, et *peregrinum*, in rubro mari nascens: *Nostras* caput habet (inquit Salvianus) tenue et rotundum; rostrum oblongum, et acutum. Os magnum plurimis atque exiguis dentibus munitum: *Oculos* mediocres, rotundos et aureos: *Branchias* utrinque quaternas: prope quas binae et parvae sunt *pinnae*, utrimque scilicet una, aliae duae et majores in ventre; in medio dorso una haud ma-

Aldrov. de Piscib. l. 2. c. 55.

Aelian. H. A. l. 2. c. 25.

gna quinis senisve aculeis horrida erigitur, aliaque una multo minor in medio dorso caudae vicina reperitur: e cujus regione ab ano, qui in hoc pisce caudae satis proximus est, alio paulo major imo ventri haeret. *Cauda* in unam lunatam pinnam degenerat. Corpus oblongum est et rotundum. Unde non inepte a Speusippo in secundo similius, Sphyraena, Acus et Saurus, similes esse dicantur. Sphyraenae enim satis similis est hic noster Saurus, similis et Acui, si Acus illam rostri dempseris tenuitatem. *Ventre* est subalbido, lateribus luteis, dorso ex viridi nigricante, maculis quam plurimis virentibus, rubeis, caeruleis, luteis atque nigricantibus, dorsum, caput, et latera, nonnullorum serpentum instar, varie admodum

N

pin-